6.

COMPETITIO AD AGREGATIONEM

JUSSU REGIS OPTIMI ET EX MANDATO SUMMI GALLIÆ UNIVERSITATIS MAGISTRI INSTITUTA ANNO 1823.

AN

VARIÆ ORGANORUM DEGENERATIONES

AB UNA ET EADEM CAUSA PENDENT?

THESES

Quas, Deo favente, in saluberrimâ Facultate Medicâ Parisiensi, præsentibus competitionis judicibus, publicis competitorum disputationibus subjiciet et dilucidare conabitur, martis die 26 decembris, anno 1826,

A. L. J. BAYLE,

CELEBERR. FACULT. PARIS. DOCTOR MEDICUS ET SUB-BIBLIOTHECARIUS, MEDICUS DISPENSARIORUM SOCIETATIS PHILANTHROPICÆ, ETC.

EX TYPIS GUEFFIER,

VIA DICTA GUÉNÉGAUD, N°. 31.

1826.

JUDICES.

Præses . . . . D. Esquirol.

Judices . . . . DD. Adelon, Cayol, Fizeau, Fouquier, Jadioux, De Kergaradec, Recamier.

Vices gerentes . . . . . . DD. Chomel, Rochoux.

COMPETITORES.

DD. Bayle.
Benech.
Bouillaud.
Dalmas.
Danse.
Dronsart.
Gibert.

DD. Guibert.
Leger.
Martin-Solon.
Piorry.
Trousseau.
Valat.
West.

AN

VARIÆ ORGANORUM DEGENERATIONES

AB UNA ET EADEM CAUSA PENDENT?

I.

Procemium.

De causâ proximâ, seu naturâ degenerationum organorum dicturis, tentamen nostrum tùm judicum peritissimorum examini, tùm sagacium competitorum disceptationibus subjecturis, coràm oculis tyronum scientiæ studiosorum locuturis, tandem opus hocce tenuissimum juris publici facturis, multùm sanè nobis pertimescendum : argumentum enim quod sortiti sumus, densissimis latens tenebris, oculatissimorum etiam virorum disquisitiones hùcusque decepit; clarissimi quibus de argumentatione statuendum est medici, summis ergà genus humanum meritis, permagnâ in rebus iatricis doctrinâ, necnon acri ingenii acie præstant et illustrantur; æmuli doctissimi, naris acutæ, in legendis accuratèque scrutandis et perpendendis thesibus nostris toti, acri studio navabunt operam ut si quid est mendosi falsive reperiant et objiciant. Quæ cùm ità sint, abstrusissimam maximique momenti materiam titubantes suscipimus.

II.

Argumenti definitio.

Ut omnis vitetur verborum ambiguitas vel confusio, argumentique expositio claritate luciditateque polleat, quæstionis vocabula primùm definiantur.

Verbum *degeneratio*, generatìm grammaticèque sumptum, partis cujusdam organismi transitum à statu sano ad pejorem abnormemque indicat. Nonnulli de re anatomicâ scriptores ad exprimendam cujuslibet textûs accidentalis formationem hâc voce usi sunt.

Hoc autem vocabulo minùs latè accepto, transformationem textûs cujuscumque genuini in morbidam substantiam naturali prorsùs absimilem, cum viris in anatome pathologicâ versatissimis, clariss. *Bayle* (1) et *Laennec* (2), degenerationem nuncupabimus (3).

III.

Argumenti divisiones.

Cùm plerique textus sic dicti accidentales nova sistent corpora in interioribus organorum nata et nidulantia, vel ad superficiem efformata absque ullâ substantiæ illorum metamorphosi, veræ organorum morbificæ transformationes ex ill. *Laennec* sententiâ sat raró observantur. Verumtamen, accidentalis materia quamcumque usurpet formam, ab iisdem pendens causis, quæstionis solutio in utrâque rerum positione nullomodò mutatur.

Septem præcipuæ organorum degenerationes, adiposæ nempè, fibrosæ, cartilagineæ, osseæ, tuberculosæ, scirrhosæ, melanicæque a *Bayle*, *Laennec*, *prof. Cruveilhier*, etc. numerantur.

---

(1) *Dict. des Sc. méd.*, art. *Anat. patholog.*—*Traité des maladies cancéreuses*, p. 30. mss.

(2) *Dict. des Sc. méd.*, t. 8, p. 202.

(3) Veram non existere organorum metamorphosin, partiumque degenerationes pendere ab infiltratione, seu depositione materiæ accidentalis intra ipsarum elementa organica pedetentìm pressione seu absorptione destructa contendi potest.

Nonnulli forsan contendent me vocabulum *degeneratio* in acceptione strictiori accepisse; applicandum esse cuilibet organi mutationi in pejus ruentis; sic *v. g.* pulmonem hepatisatum degeneratum esse. Huic objectationi respondebo me verbo illo usum esse in sensu ab omnibus medicis in anatome pathologicâ versatissimis adhibito.

IV.

De argumento variæ opiniones.

Complurimæ de causis degenerationum organorum opiniones pleræque ad scirrhum tuberculosamque materiam spectantes.

1°. *Opiniones de causâ degenerationum scirrhosarum.* Veteres atrambilem (*Hippocrates*), bilem acidam (*Galenus*), scirrho ansam præbere arbitrabantur; ipsum *Boerrhaavius* lymphæ coagulatæ et acri, nonnulli auctores alcalinæ materiæ cum oleo fetido mixtæ, *Crawfort* gaz hydrogenio sulphurato, tribuendum esse putant.

Alii, degenerationum scirrhosarum causam proximam in hydatidibus carcinomatosis nuncupatis (1), in absorptione cujusdam insectorum speciei germinumve horumce animalium (2), in peculiari virium nervosarum aberratione (3), in morbis systematis nervosi (4), in depravatione vitii scrophulosi, herpetici, rhumaticive (5), in speciali et hùcusque ignotâ organismi dispositione (6), quærendam censent; nonnulli tandem medici inflammatione chronicâ scirrhum pullulare contendunt (7).

2°. *Opiniones de degenerationum tuberculosarum causâ.* Variæ circa intimam tuberculorum naturam opiniones inventæ, inprimis

---

(1) *Adams*, on cancerous breast. *Vide* Biblioth. méd., t. XXXII, p. 271.

(2) *Justamond*, Treatment of cancerous and squirrhous desorders. London, 1780. — *Sœmmering*, de morbis vasorum absorbentium, p. 109.

(3) *Lecat*, Mémoire sur le cancer. Prix de l'Acad. de Chirurgie, t. 1er. — *Camper*, Demonstrationes anatomico-pathologicæ. Lib. I, de nervis cranii, p. 8.

(4) *Sarot*, Thèse sur les affections cancéreuses. — Bibliothèq. méd., t. XIX, p. 107.

(5) *Amard*, Mém. sur le cancer, p. 6 et 15.

(6) *Bayle et M. Cayol*, Dict. des Sc. méd., art. *cancer*, p. 539.

(7) *Fearon*, Treatise on cancer, etc., London, 1804. — *Lacombe*, propositions sur l'adéno-méningite, Paris, 1803. — *Broussais*, Examen des doctrines, etc., p. XLVIII.

ad tubercula pulmonalia spectantes ad quatuor præcipuas reduci possunt.

Pro glandulis lymphaticis morbosis tubercula pulmonis habent alii inter quos præsertim recensendi nobis *Morton* (1), *Sauvages* (2), *Portal* (3), *Camper* (4), *Raulin* (5), *J. Frank* (6).

Alii ex hydatidibus et vermibus tubercula evolvi contendunt. Huic opinioni asseclæ clariss. *Baron* (7), *E. Jenner*, *J.-P. Frank*, *Wesener* (8), nonnullique veteres (9) numerantur.

Alii in anatome pathologicâ peritissimi viri tubercula ut corpora sui generis, non ab inflammatione pendentia, sed ab ignotâ quâdam organismi dispositione, considerant (10).

Alii tandem multi, inter quos clar. *Broussais* (11), materiam tuberculosam inflammatione pulmonum chronicâ produci arbitrantur.

Quarum opinionum prima, physico tantùm aspectu tuberculorum innixa, aliena ab anatome pathologicâ quæ demonstrat

(1) Phthisiologia, seu tractatus de phthisi variis historiis illustrata, cap. 1, lib. III; Genevæ, 1737.

(2) Nosolog. method., class. X.

(3) Mém. de l'Acad. des Sc. de Paris, 1780, p. 315.

(4) Dissert. decem quibus ab illustribus Europæ præsertim Galliæ academiis palma adjudicata fuit. Vol. 1. Lingæ, 1798.

(5) Traité de la phthisie avec la méthode préservative et curative de cette maladie. Paris, 1787.

(6) Praxeos medicæ universæ præcepta. Pars secunda, vol. sept., p. 118.

(7) Recherches sur le développement des maladies tuberculeuses, traduit de l'anglais. Paris, 1825.

(8) *Hufeland's*, Journal 1821. Aug. p. 87.

(9) *Bartholin*, cent. 1, hist. 96. — *Rhodius* cent. 11, obs. 12. — *Schenkius*, l. II, p. 229. — *Petrus Valescus Castellus*, de morb. pector., tract. 8, c. 4. — *Eyselius*, diss. de phthisi. Erf., 1694, § 13.

(10) *Bayle*, Recherch. sur la phthisie pulm. Paris, 1810. — *Baillie*, Anat. pathol. — *Laennec*, Traité de l'auscult. méd.; 2ᵉ édit., t. 1ᵉʳ, p. 578 et 579.

(11) Examen des doctrines médicales, p. XLIII.

tubercula nasci in locis qui glandulis lymphaticis carent, naturam tandem tuberculorum non eruens, hìc nobis non perpendenda est; quod etiam de secundâ opinione dicendum, nonnullis rarissimis superstructâ observationibus, præcipuè pathologiâ comparatâ sumptis. Constat enim, in pulmonibus ovium aliorumque animalium, haud rarò vermes nidulari, quod et in ipso pulmone humano aliquandò contingit.

Tertia quoque ad trutinam non revocanda nobis est, quoniam tuberculorum naturam prorsùs nos ignorare fatetur.

Quod autem ad quartam sententiam attinet, cùm non tubercula solùm, sed et cæteras organorum degenerationes ab unâ et eâdem causâ, id est, inflammatione pendere contendat, ipsa attentè satque fusè nobis moxmox perpendenda erit.

V.

De argumento propositio generalis.

Cùm morborum natura, invitis opinionum commentis, nos planè generatìm lateat, ipsiusque inventio, etiam acutissimos investigantium oculos declinet, degenerationum organicarum causæ detegendæ et enucleandæ spe falli non possumus. Quod verò ad quæstionis solutionem non necessarium. Rectâ duntaxàt observatione argumenta sumenda, ratiociniaque deducenda esse censemus.

Ut generatìm veram sequentem propositionem habemus, *organorum degenerationes tùm in proprietatibus physicis, chemicis et organicis, tùm in organismum actione similes ab eâdem et unâ pendere causâ, læsiones contrà iisdem qualitatibus et actione discrepantes, variis et absimilibus causis produci.*

Quo principio quæstionis solutio derivanda nobis est; quod modò expositâ degenerationum organorum contractâ descriptione patebit.

VI.

Organorum degenerationum brevis descriptio.

1°. *Degenerationes adiposæ, fibrosæ, cartilagineæ et osseæ.* Illæ partium transformationes, textibus organismi affines maximam sub compositionis structuræque respectu cum adipe, cartilaginibus, ossibus, systemateque fibroso, similitudinem alunt; toto cœlo verùm inter se distant et differunt. Sic v. g. *accidentalis adeps* ut genuina mollis et semi-fluida est, sub-albida, unguinosa, aquæ non miscibilis, in essentialibus oleis solubilis, eleaïnâ et stearinâ constans, gaz hydrogenio præsertìm composita; *fibrosæ degenerationes* structuram sistunt firmam, tenacem, flexibilem, fibris bellè oculo conspicuis, densissimis, strictè inter se junctis conflatam; *cartilagines* solidæ, cinereæ, elasticæ, gelatinâ compositæ; *osseæ transformationes* solidissimæ, duræ, sub-albidæ, fragiles, gelatinâ et phosphate calcis constantes.

2°. *Degenerationes scirrhosæ, melanicæ, tuberculosæ.* Degenerationes *scirrhosæ* nobis substantiam exerunt albidam, lucidam, quæ ejusdem generis, suïque consimilem primo intuitu videtur. Quæ verò materia de proximo vel amplificantis conspicilli ope aspecta, duobus constans partibus, quarum altera opaca, alteraque translucens, vel semi-translucens cernitur (1). Prior organicâ naturâ lamellas habet quæ suis decussationibus cellulas efficiunt; posterior quam cl. Bayle inorganicam censet, modò absque colore, modò subviridis, modò subcærulea, rarissimè sub-albida in areolis aliæ partis continetur. Illæ morbidæ substantiæ, scirrhosum parenchyma constituentes, ità inter se junguntur et miscentur, ut nunc cartilaginis (*scirrhus chondroïdeus*), nunc corporis vitrei oculorum (*scirrhus hyaloïdeus*), nunc lardi (*sc. larinoïdeus*), nunc napi (*sc.*

---

(1) *Bayle*, Traité des maladies cancéreuses, p. 27. mss.

bunioïdeus), nunc cerebri (*sc. encephaloïdeus*), nunc gelatinæ (*sc. colloïdeus*), aspectum exerant et mentiantur (1). Quæ substantia per temporis tractum plùs minùsve longum firma solidaque, dein emollitur, tandemque exulceratur. Scirrhus absque dolore in primo morbi stadio; in aliis verò periodis, acerrimis ægros cruciatibus afficit; cùm exteriores partes occupat, sæpè sæpiùs repullulat, si chirurgico scultro tollatur. Ad extremum cùm scirrhus pervenit, pleræque læduntur functiones, emaciatur corpus; peculiarem frequenter colorem cutis induit. Quæ miserrima malorum caterva *cachexia* nuncupatur. Æger tandem ad orcum dimittitur.

Tuberculosa degeneratio substantiâ opacâ, uniformi, homogeneâ alborem cinericium, citrinumve haud lucidum referente, quamdam cum caseo vel gypso similitudinem habente insignitur. In primâ morbi periodo, organon tuberculis infectum, accidentali tantùm colore sub-albido à statu sano discrepare videtur. In secundo stadio, morbida materia opacior, minùs firma atque ad divisionem aptior evadit; in tertio tandem, è medio ad exteriores partes emollitur, undè in pus mutatur plùs minùsve crassum, atque grumulos flocculosque caseiformes, sub-albidos, cinereosve continens.

Degenerationes *melanicæ*, quas alii pro scirrhi specie (*Laennec*) (2), pro peculiari substantiâ alii (*Bayle*) (3) habent, glandularum lymphaticarum firmitatem, nigrum colorem, textum homogeneum tantillùm humidum, aspectum glandulis bronchialibus similem præ se ferunt. In primâ periodo sat solidæ, dein pedetentìm remollescunt, fluidumque rufulum cum grumulis nigris mixtum suppeditant; tandem in ejusdem coloris pulticulam mutantur; indè graduata virium imminutio, nutritionis intima læsio, plùs minùsve ingens corporis macror.

---

(1) *Bayle*, opus cit., p. 48 et seq.

(2) *Opus cit.*, t. 2, p. 32.

(3) *Opus cit.*, p. 23 et seq.

VII.

Quâ perbrevi expositione multùm inter se variis sub respectibus corpora accidentalia differre patet; undè suprà enunciato principio legitimâque deductione innixi, cuilibet hypothesi opinionumque commento valedicentes, *varias organorum degenerationes non unâ et eâdem causâ pendere* inferre possumus. Quæ, refutatis opinionibus contrariis, conclusio confirmabitur.

VIII.

Solvuntur objecta.

Nunc si varias ad trutinam revocemus de naturâ degenerationum opiniones, ad duas species reducendas esse compertum habebimus, quarum alia organicas transformationes ut variis productas causis, alia autem ut eâdem et unâ causâ pullulantes considerat. Prior non hìc perpendenda, quoniam conclusioni nostræ consentanea prorsùs nobis favet. Posterior quæ, ut dixi, accidentalia corpora inflammatione ortum ducere arbitratur (nonnullorum veterum et neotericorun, clari præsertìm Broussais sententia) tantùm refutanda est.

IX.

Hisce præcipuis innititur argumentis doctrinæ sic dictæ physiologicæ auctor, ut phlegmasiâ vel sub-phlegmasiâ organorum degenerationes tunc adiposas, fibrosas, cartilagineas, osseas, tùm scirrhosas, tuberculosas, melanicas, produci censeat :

Tubercula mesenterica, inquit, interitidem excipiunt; pulmonalia ægris qui jam pneumoniâ, pleuritide chronicâ, seu catarrho affecti fuêre, superveniunt. Qui morbi antiphlogisticis mediis præcaveri, imò etiam sanari possunt.

Scirrhus è consuetis inflammationum causis, violentiis scilicet

exterioribus, irritantium corporum actione, auctà extrà modum organi functione, stimulantium pharmacorum abusu oritur. Organon, lymphâ in textu ejus ope irritationis attractâ, induratur et structurâ mutatur. Quæ irritatio varias organismi partes sympathicè lustrans ejusdem generis alterationes passìm producere valet. Sanguinis missionibus et dietà huic morbo præpeditur ipseque sanatur (1). Quæ sigillatìm summatìmque refutanda sunt, quoad valent vires, argumenta.

X.

§ I. Post *pneumoniam* rara phthisis pulmonalis (2); per decursum hujusce chronici et perniciosissimi mali haudfrequens pulmonis inflammatio; rarissima in pulmonibus hominum peripneumoniâ enecatorum materia tuberculosa... Si valeret quam refutamus opinio, transitum ab *hepatisato* pulmone ad tuberculosum factum, cadaverum exstispicia demonstrarent; tuberculosa materia a purulentâ non differret; quod sanè a veritate abhorret. Phlegmasiâ ergò cùm supervenit evolutionem causæ proximæ phthiseos tantùm accelerari posse cum illustriss. *Bayle* et *Laennec* sententiam profitemur.

Quod ad *catarrhum* attinet, dicendum est nonnunquam in fetuum vel recens-natorum pulmonibus absque ullâ membranæ mucosæ bronchiorum inflammatoriâ notâ tubercula reperiri, multos tabe phthisicâ affectos se tussim passos esse non recordari, complurimos quotannis bronchitide corripi, inter quos paucissimi phthisici fiunt. Observavit cl. *Laennec* orarum maritimarum incolas, qui magis quàm continentis cultores catarrhis obnoxii sunt, rariùs tuberculosâ consumptione laborare. Sub anatomico respectu suprà

---

(1) De cæteris organorum degenerationibus non hìc mentionem injiciemus repetitionum vitandarum gratiâ, quòd Cl. Broussais iisdem argumentis illarum etiologiam tuetur et defendit. Ergò præcipuè de scirrho et tuberculis sermonem faciemus.

(2) Ut vitentur repetitiones, de tuberculosis degenerationibus dicturus, exemplum in phthisi pulmonali, majoris momenti subjecto, tantùm sumpsi.

dictam animadversionem iterabimus, metamorphosin bronchitidis in phthisin sectione pulmonum probandam esse, ut solidâ superstrueretur basi doctoris Broussais opinio; quod observationi haud consonum est.

Ut phthiseos causa, *pleuritis chronica* meliori pacto haud invocanda est, quoniam enim tabis pulmonalis ortum raro antecedit. Plerùmque in hoc morbo copiosis in sacco pleurarum effusis seri collectionibus pulmones comprimuntur, coarctantur, et ità depravantur et vitiantur, ut ferè planè amissis vi vitali ac functionibus, potiùs tuberculorum evolutioni obstent quàm faveant. Disquisitionibus contrà illustriss. professoris *Laennec* remotissimæ mandandis memoriæ constat, pleuritidem, vomicis in pleurâ crepatis, è phthisi pulmonali haud raro pendere.

Antequàm de hisce objectis discendi finem faciamus, nobis non omittenda cl. professoris *Cruveilhier* recentiora et maximi momenti experimenta, quæ doctrinæ sit dictæ physiologicæ paululùm favere videntur (1). Qui auctor in anatome pathologicâ peritissimus, injecto in canum tracheam hydrargiro, pulmones post mortem quæ mox mox experimentis succedebat exploratos, tuberculis miliaribus, casei formam referentibus, moleculamque metallicam in centro habentibus refertos invenit; injectis autem aliis materiis, organa respiratoria duntaxat inflammata absque tuberculoso inquinamento observavit. His experimentis cùm sæpiùs iterabuntur, hydrargirum specificâ dote ad tubercula producenda potiri nobis constare videbitur.

Quod ad argumenta attinet, ex therapiâ antiphlogisticâ deducta solum hominem phthisi pulmonali laborantem, sanguinis missione faucibus orci ereptum esse, invitis quorumdam medicorum jactationibus, haud compertum est.

Nonnunquam in variis organis tubercula complurima, nullo

(1) *Nouvelle Bibliothèque Médicale*, septembre, 1826.

ne minimo quidem inflammationis signo prævio nascuntur, evolvuntur, et cadavera secando reperiuntur. Sic *e. c.* in regio insanorum gyrgato *Charenton* gallicè nuncupato, virum observavi pulmonum consumptione enecatum, cujus corpus anatomicè investigatum tuberculosas massulas, quarum nonnullæ tam amplæ quàm pugnus, in mediastino, ad columnæ vertebralis latera, in abdomine, pelvi, ad axillas et inguina nobis exeruit.

XI.

§ 2. Sæpè *scirrhosos* exteriores morbos violentiis physicis succedere, ventriculique scirrho homines mimium potui stimulanti indulgentes affici haud negandum est. Sed illæ causæ duntaxat ut occasionales considerandæ sunt, quoniam experientiâ constat plerasque organorum interiorum, cerebri nempè, hepatis, cordis degenerationes absque ullâ phlegmasiâ præviâ supervenire. Triginta et ampliùs hujus generis observationes in opere clariss. *Bayle* manuscripto leguntur. Tria exempla idem probantia de cordis scirrho hactenùs parùm observato cum D. *Andral* publici juris fecimus (1). Complures quoque de variis carcinomatosis affectionibus observationes sine ullâ inflammationis præeunte notâ in nonnullis tractatibus, atque commentationibus à societatibus editis reperiuntur (2). Mirum hujus speciei exemplum à doctore *Velpeau* observatum summatìm referemus (3).

---

(1) Revue méd. et Journal de Clinique, t. 1er, 1824.

(2) *Bayle*, Recherch. sur la phthisie pulmonaire, p. 295. — *R. Russel*, philosoph. transact. y. 1713, p. 276. — *Rost*, acta acad. naturæ curios. vol. 2, p. 411. — *Fournier*, Recueil périodique de la Soc. de Méd. de Paris, t. 44, p. 53. — *Seger*, Miscell. curios. dec. 1, ann. 4 et 6, 1673 et 1674. — *Helmershhausen*, ingens et miranda gravissimorum symptomatum congeries per 32 annos se invicem excipientium a concremento polyposo *scirrhoso* in et extrà venam portam coalito, obortorum. Nova acta acad. natur. curiosorum; t. 4, p. 52. — *Scholz*, infimus venter totus scirrhosus. Miscell. curios., dec. 1, ann. 2, 1671, p. 118. Dec. 3, ann. 7 et 8, 1699 et 1700. Appendix, p. 69.

(3) Exposition d'un cas remarquable de maladie cancéreuse. Paris, 1825.

Femina quædam, 36 annos nata, eximiâ sanitate semper fructa erat. Sex abhìnc annis, absque ullis ictu vulnereque præviis, tumor mobilis, primùm indolens, dein lancinans, ad antibrachium illi supervenit. Scultro chirurgico ablatus, repullulavit, denuòque resectus fuit. Scirrho encephaloïdeo constabat. Paulò post, sanato vulnere, convaluit ægra, florentique valetudine ad usque mensem julium anno 1824 potita est. Tunc temporis, novi in antibrachio doloris morsus, breves tussis accessus; dein, suffocationis insultus, anorexia, insomnia, novus ad antibrachium tumor, continua anxietas, nullus in abdomine dolor. Primo januarii die anno 1825, maximè augentur cruciatus, acerrimique sentiuntur dolores in membro inferiori sinistro, qui, paucis post diebus, a pede ad genu tumet, sensumque ac motum amittit. Undecimâ die, vitam exhalavit femina.

Secto cadavere, innumerandæ inveniuntur scirrhosæ degenerationes : multæ et vario volumine in pulmonibus et inter pleuram ac costas latitabant; materiâ scirrhosâ cor admodùm inquinabatur; in abdominis cavo novem ejusdem generis tumores sub membranâ ventriculi mucosâ albidâ nullomodoque læsâ, necnon duo in duodeno visi sunt. Multa istius generis centena corpora (mirum) in hepate, à magnitudine ovi gallinacei ad volumen seminis cannabis variantia, observata fuêre. Haud pauca etiam in pancreate, in vesiculæ felleæ parietibus, in variis peritonæi partibus, in rene dextro, inter duram matrem et cerebri substantiam, in glandulâ thyroïdeâ, in musculis cruris dextræ nidulabantur.

Doctor *Velpeau*, hâc observatione innixus, tumorum scirrhosorum suprà descriptorum evolutionem nullâ phlegmasiâ stipatam fuisse considerans, collatis symptomatibus morbi cum hisce corporibus accidentalibus, inflammationem illis degenerationibus non ansam præbuisse ad concludendum adducitur : quam quoque sententiam profitemur.

Aliud in theoriam sic dictam physiologicam argumentum è

scirrhi *repullulatione* et *cachexiâ* sumendum putamus. Scirrhi enim renovatio post ablationem à quolibet inflammationis phenomeno prorsùs distat atque differt; idcircò, physiologici medici, irritis hypothesibus quibus nimiùm uti solent, repullulationis phenomenon nullomodo principiis suis explicare et explanare valent. Quod sanè et de cachexiâ sympathiis interpretatâ dicendum est, in quâ plerumque plùs minùsve numerosa organa, inter se parùm vel nequaquam consensum alentia, in scirrhosum textum degenerant. Verè inflammatoriæ sympathiæ nihil nobis hujus generis exerunt; si tamen explanationem medicorum physiologicorum bellè valere contendas, explanationem sympathiæ, phænomeni hùcusque ignoti, à te postulem.

Non meliùs, nostro quidem sensu, natura scirrhi inflammatoria *fausto antiphlogisticorum usu* deducitur. Quæ enim ratio ratiociniis præsertìm paucissimisque observationibus (1) fundamentum habet fiduciamque, ad maximam generis humani calamitatem, conciliare non potest. Multa quippè tentamina tùm in nosocomiis, tùm in privatâ praxi gesta, spem fugavêre nobis jam ob grandia doctrinæ physiologicæ promissa illucentem, atque demonstravêre sanguinis missione sub quibusdam rerum positionibus evolutionem ac decursum degenerationum scirrhosarum retardari, imò etiam sisti posse, plerumque verùm hoc crudele malum, invitâ quâlibet emollienti vel antiphlogisticâ medelâ, secum perniciem trahere, ac ineluctabilia funera movere.

XII.

Quòd si unam duasve degenerationes organicas ab inflammatione pendere nobis constaret, haud minùs valida quam defendimus

---

(1) *Broussais*, Examen des doct., etc. — *Goupil*, Exposition de la nouvelle doctrine médicale, p. 51. — Thèses de MM. Lemercier, Chanriont et Maréchal.

evaderet propositio, cùm cæteras aliis causis produci fateri necesse esset.

XIII.

Nunc si inflammationem pro causâ degenerationum organorum proximâ cum doct. *Broussais* habere libeat, argumentum haud sanè explanatum enodatumque videbitur. Qui enim auctor accidentalium corporum differentias per varias phlegmasiæ modificationes variosque gradus explicat. Sic, v. g. (ejus sensu), textum quoddam hoc gradu inflammatum in adipem degenerare, illo gradu in cartilaginem, alio in fibrosum textum, alio in osseam substantiam, alio in scirrhum, alio in tubercula, alio tandem in materiam melanicam transformari potest. Cùm autem maximi momenti sint differentiæ degenerationum, ut illarum brevissimâ descriptione jam constat, ad desideratam explicationem, inflammationis modificationes è quibus pendent varia accidentalia corpora, non secùs ac illæ degenerationes, inter se discrepent necesse est. Tanta discrimina, nostro quidam sensu, varios potiùs affectus quàm ejusdem morbi varios gradus constituunt; quod à simplicissimis doctrinæ quam insectamur principiis omninò abhorret.

XIV.

De degenerationum organorum causâ conjectationes.

Quid ergò de naturâ degenerationum organorum dicendum? Si opinionum commentis et quibuscumque hypothesibus valedicentes, observatione tantùm et experientiâ ducimur magistris, causam degenerationum proximam nos prorsùs latere cum cl. *Bayle* et *Laennec* aliisque multis fatendum erit.

Idcircò extrà dubitationis aleam non egredientes, ut probabiliores de degenerationum causâ sequentes propositiones admittimus :

1°. Corpora accidentalia genuinis organismi textis similia, adiposa scilicet, fibrosa, cartilaginea et ossea, eas causas habent proximas, quibus, in statu naturali adipis, texti fibrosi, cartilaginis ossisque formatio et compositio derivant. Horum ergò degenerationum natura in nutritionis legibus quærenda est.

2°. Degenerationes tuberculosæ, scirrhosæ et melanicæ à peculiari secretionis morbidæ specie hactenùs prorsùs ignotâ pendere videntur.

3°. Harum substantiarum semen in sanguine primùm vel formari vel in ipsum tantùm vehi, dein in cujuscumque organi huic morbo prædispositi texturâ deponi à probabilitate haud alienum est. Contendi tamen potest argumentis haud multùm minoribus illa corpora primam in organorum fabricâ originem ac sedem habere.

4°. Cùm multæ corporis partes jam simul scirrho tuberculisve afficiuntur et inquinantur, nonnullis maximi momenti observationibus constare videtur materiam accidentalem cum sanguine misceri, hujus fluidi naturam depravari, substantiam scirrhosam vel tuberculosam ad varia organa mox mox vitianda inferri, indèque profundam et generalem functionum læsionem, *cachexiam* nuncupatam oriri.

Materia tuberculosa in ductu thoracico, necnon in venis, ab aliquibus medicis reperta fuit. Quod idem de scirrhosâ dicendum. Solam tantùm et maximi momenti sub hoc ultimo respectu observationem à D. *Velpeau* collectam memorabo (1).

Vir quidam, 62 annos natus, secundâ semper valetudine usus, duobus abhinc annis, dolores sat acres in abdomine, uriginesque mingendo percepit. Digestivæ functiones depravatæ fuêre; crura pedetentìm tumuêre, exploratusque venter tumorem qui ipsius cavum

(1) *Vide* Revue méd. et Journal de Clinique, juillet 1826.

partìm implebat, exeruit. Cutis pallida ac sub-albida; pulsus naturalis. Tandem summoperè auctis corporis infiltratione et macrore, vivendi finem fecit æger.

Secto cadavere, massulæ aliæ solidæ, aliæ jam emollitæ, in pulmonali texto latitantes, materiâ encephaloïdeâ constantes occurrêre. Tumorem abdomen continebat pueruli capitis volumine, reno dextro formatum, scirrho cerebriformi compositum. Ejusdem generis substantiâ hepar infarsus erat. Membrorum venæ sanguinem vitiatum cum concretionibus sub-albidis habebant. Vena cava, dilatatis extrà modum parietibus, ad usque auriculam dextram implebatur concretione quæ digitis trita cerebro fœtûs à nonnullis diebus mortui, necnon scirrho encephaloïdeo hepatis, renisque admodùm similis erat.

Nonne cachexiam quâ ille laborabat æger a generali sanguinis scirrhoso inquinamento pendere, jure ac merito contendi potest?

XV.

De argumento conclusio.

Si generatìm admittendum sit organorum degenerationes quæ proprietatibus et actione in organismum differunt, earum causis etiam proximis discrepare; si tùm plerisque physicis, chemicis et organicis proprietatibus, tùm in organismum actione organorum degenerationes discrepent; si inflammatione non oriantur, propositionem hanc nostram, *varias organorum degenerationes non ab unâ et eâdem causâ pendere*, confirmavimus.

Ergò variæ organorum degenerationes non ab unâ et eâdem causâ pendent.

FIN.